

adeò captus fuit amore ejusque Authores veteres æque ac recentiores nocturnâ diurnâque manu versavit, ut postmodum familiam hoc in studiorum genere, nemine refragante, duceret. In cæteris studiis eò perfectionis devenit, ut excellentissimus sui ævi Orator, Poëta & Mathematicus ab omnibus salutaretur. His itaque studiis cum juventutem Academicam undique ad se confluentem imbuere atque hóc pacto optimè de hac Acad. mereri coepisset, adeò ut neminem omninò ejus lateret eruditio, nil nisi promotio ad officia publ. deesse Nostro videbatur, quæ benè de Academia merendi studio, flagrantissimo licet, calcar adderet gloriamque conciliaret majorem. Primò itaque Poëseos, ad quam natus factusque videbatur tractandam, Anno 1595. Professio demandata ipsi est. Quam haud longo post, cum edecumata ipsius in Theologicis biblicisque eruditio omnes in admirationem raperet, Professio quoque Theol. & provincialis Consistorii Assessura excepit. Obtenta hæc officia, quibus ut majori Autoritate fungeretur, Doctoratus theol. honoribus & privilegiis 1605. mactatus est, Lectionibus Academicis Disputationibus ut & variis scriptis infra recensendis adeò ornavit, ut solius hujus viri meritis hæc Acad. velut Hesperus cæteras inter stellas coruscaret, præsertim cum haud multi fortè alii Professorum Rostoch. majorem eò celebritatem consecuti fuerint. Audiamus de eo Viri meritorum gloriâ in Rostochiensem Acad. universamque Eccl. orthod. verè Magni, *Dn. D. Fechteri*, Patroni ac Præceptoris mei Parentis instar ad tumbam usque devenerandi, *judicium in Orat. de studio Exeg. in Acad. Rost. semper exulto, ita habens: Qui hoc (Lubini) nomen ignorat, ignorat propemodum ipsam eruditionem. Nec enim Rostochiensium Professorum quisquam apud exteros etiam, quam hic ipse, majorem celebritatem adeptus est. Eius quippe Antiquarius & Fax poëtica & Florilegium & Clavis lingue græcæ & Auctores illustrati, Horatius, Juvenalis, Persius, veterum Græcorum Epistola, & in superiore Germania & in Belgio & in Gallia, neque semel tantum, sed bis, sed ter, imò quinquies & sexies recusa conspiciuntur. Tanto tum hi libri habebantur in pretio, tantâ estimatione. Qui honor, quantum mihi constat, nemini contigit à primis Acad. hujus natalibus. Testatur præterea de Meritis Lubinianis Programma ipsius excq. à Senatu Acad. Rost. 1621. propositum. Ubi inter alia dicitur studiosorum fuisse studiosissimus,*

*atiosissimus,*